



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 244. Vere hic homo filius Dei erat. v. 39.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

§. 244. *Vere hic homo filius Dei erat. v. 39.*

Quis tibi, ô Centurio, hanc fidei veritatem indidit? an scriptura sa-
era seu Biblia? Non sane, quid igitur? Experimenta, ista tibi prædicarunt,
sine prædicante Bibliostro, quare? quoniam Fides ex auditu est, non ex
lectione, & si Fides iustificat (saltem inchoatiue) & haec sine Biblijs haberet
potest, ut docet centurio, certe ad salutem sine Biblijs peruersari potest.
nempe per virtutem crucis, per virtutem sanguinis Filii Dei, virtutem mor-
tis eius, quæ tam valido clamore & efficacia sparsa est per mundum, vi sine
typorum & literarum figuris peccatores commoueri possint. Iudæus ergo
habens scripturas propheticas de Christo, de eo doceatur per scripturas
suas, Gentilis sine scripturis doceatur & erudiatur per lumē rationis, quod
ipse habet loco scripturæ. Delirat, qui aliter haec ordinat, frumentum nullum
in Gentibus facit, qui cum scripturæ mille voluminibus grauis venit. Hinc
nulli Bibliastæ ullum gentilem ad suam Fidem, per ea, quæ controuersia ha-
bent à Catholicis aliena, conuertunt. Nec possunt, quoniam & zelo Diui-
næ gratiæ carent & eruditione necessaria ad hoc opus, lais met impediti
principijs, nempe nihil credendum nisi quod est in scripturis, quod ipsum
non est tamen in scripturis.

O Deus gratias tibi ago, quod non sum de secta illa hominum, quæ
huic centurioni est contraria, ego cum centurione credo, & confi-
teor, quod tu es verè filius Dei. Illi viderint quid credant, nempe ut scrip-
turam explicando sibi tornant.

§. 245. *Erant autem mulieres de longe afficientes. v. 40.*

Iuxta decentiam & honestatem muliebrem, non se immiscentes tur-
bis quæ propius quodam impetu crucifixis astare conabantur, vel afflige-
rent magis vel curiosius viderent quæ gererentur, vel audirent quæ dice-
bantur, imo simul blasphemarent. Stabant autem è contra mulieres plenæ
deuotionis affectu, indicibilem flammatamoris & compassionis Iesu ac-
cidentes in tenebris illis horrendis, qui tales iniurias tam libens sufferret,
& condonaret, & tam acrociter iniuriantes etiam apud Patrem excusaret,
contemplabantur quam pretiosa morte à se diuellerentur anima illa san-
ctissima & lacratissimum Christi corpus, inter quæ tam mira semper con-
cordia, tam stupenda dilectio fuit. Contemplabantur omni cum deuotio-
ne sacrum illud corpus nostræ salutis organum quantis fuerit correptum
ponis cum omnes illius iam venæ exaruerant nec quidquam haberent nu-
trimenti, neruiq; omnes contracti eslerent, ah quanta cordis compunctione,
dolore, compassione grauissimum Christi vultum conspiciebant, verti in